



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Bonifacius & Celestinus, & Zozimi successores, canonum Sardicensium executionem quaquaversum introducere tentarunt. Neque tamen Zozismus eorum auctoritate damnavit Proculum Massiliensem, qui se ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

*IX. Contendit insuper Leo ordinandum non esse Episcopum in loco dejecti, si is apostolicam sedem appellaverit, donec causa appellationis fuerit iudicata. Constitutum id fuerat in synodo Sardicensi. Sed cum ea in auctoritatem recepta non esset apud Africanos, abstinuit Leo à proferendis his canonibus in causa Lupicini. Imò appellationum in Africam introducere voluit Leo. Sed Africani ei assentiri noluerunt.*

I. **P**OST introductos industria Zozimi Papæ canones Sardicenses, successores ejus Bonifacius & Celestinus eorum executionem quaquaversum introducere tentarunt, non solum in Africa, sed etiam in reliquis provinciis Occidentis. Ex epistola namque Concilij Carthaginensis ad Bonifacium, quæ supra relata est in capite decimo quinto hujus libri, patet eos canones nondum planè receptos alibi fuisse quàm in Italia. Certum quidem est Zozimum ad se traxisse primam cognitionem causæ Proculi Episcopi Massiliensis, rogante Patroclo Arelatensi: cujus cura depositus est Proculus à Zozimo, ut patet ex epistolis synodicis ab eo missis ad Episcopos Galliarum, Hispaniæ, & Africae. Verùm ille damnatus fuit Romæ post legem Gratiani promulgatam, quæ Romani Pontificis iudicio commiserat Metropolitanos, ut supra ostēdimus in capite undecimo hujus libri. Concilium enim Chalcidonense, cujus auctoritate Metropolitanorum iudicia reservata fuerunt Patriarchis, nondum habitum fuerat. Ceterùm Proculus ille per obreptionem in Concilio Taurinateni anno cccxcvii. obtinuerat jus metropolitanicum in nonnullis urbibus provinciæ Arelatensis, ac dein duos Episcopos ordinaverat contra præscripta canonum.

II. Si querela à quopiam Episcopo deferretur ad Pontificem Romanum, is causæ cognitionem non suscipiebat, sed ad synodos provinciarum remittebat juxta canones Nicænos. Colligitur id ex epistola Bonifacij primi ad Episcopos Galliarum scripta anno quadringentesimo decimo nono; in qua asserit decessores suos constituisse Maximum Episcopum Valentinum, quem Clerici ejus accusaverant, judicandum esse in synodo provinciæ, à decessoribus meis provinciali delegata cognitione. Ac licet Maximus detrectaret iudicium Episcoporum provincialium, noluit tamen Pontifex cognoscere de hac causa, sed præcisè inharens auctoritati canonum Sardicensium, rursus cognitionem causæ remisit ad synodum provinciæ, jubens causam illic definiri, tametsi Maximus, cui diem certam dixerat qua se synodo sistere teneretur, accedere recusaret. *Dilationem quidem dedimus, inquit Bonifacius, & decrevimus vestrum intra provinciam*

*debere esse iudicium, & congregari synodum ante diem Calendarum Novembrium.* Quemadmodum autem Bonifacius jurisdictionem Episcoporum provinciæ illasiam conservabat, sic juri quoque prospiciebat sedi suæ quæsito per canones Sardicenses; nimirum ut si Maximus se læsum esse existimaret, atque adeo sedis apostolicæ auxilium imploraret, in potestate Papæ esset aut primum iudicium confirmare aut revisionem decernere. In hac porro causa Maximus injuriam sibi illatam esse conquerebatur etiam ante primum iudicium, & Summi Pontificis opem efflagitaverat. Itaque Bonifacius merito petere potuit ut acta synodi ad se post iudicium mitterentur, ob conquestionem sive appellationem quæ præcesserat. *Quidquid autem, inquit Bonifacius, vestra caritas de hac causa decernendum esse duxerit, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut concedet, necesse est auctoritate firmetur.*

III. At Papa Celestinus causam Episcopi Massiliensis, adversus quem gravis instituta accusatio erat, non solum Episcopis provinciæ Narbonensis secundæ, in qua sita erat Massilia, commisit, sed etiam Episcopis provinciæ finitimæ, id est, Viennensis. *Vestro cum audiendum collegio delegamus, inquit Celestinus in epistola ad Episcopos per Viennemensem & Narbonensem provincias constitutos.* Quoad verò Danielem, qui in altera earum provinciarum Episcopus fuerat ordinatus insuperhabita accusatione adversus eum instituta apud sedem apostolicam, hujus causæ cognitionem ad se trahit Pontifex, haud injuria. Hic enim, cum adhuc Clericus esset, sacrarum virginum, quarum monasterium tenuerat, pollutus incestu fuerat in Oriente, & post detecta flagitia, in Occidentem migraverat. Tum criminum ejus relatio ad Celestinum, tanquam Occidentis Patriarcham, missa fuerat ab orientalibus, ut ait Celestinus: *Missæ relatione ex orientalibus ad nos partibus.* Misit verò postea epistolam ad Episcopum Arelatensem, ut Danielem vocaret ad iudicium episcopale. Attamen ille *in pontificij dignitatem hoc tempore quo ad causam dicendam missis à nobis literis vocabatur obrepsit, inquit Celestinus.* Causam hujus retentionis explicandam esse existimavi, ne quis hinc colligeret Pontificem Romanum ea tempestate ad se traxisse primam cognitionem criminum Episcoporum Gallicanorum. Daniel enim acculabatur de variis criminibus non in Gallia commissis, sed in Oriente antè quàm Episcopus fieret: quorum criminum cognitio ad Episcopos Orientis pertinebat, ij verò auctoritatem in eo casu suam

ad

Zozimus epist. 6.  
pp. 417.

tit. 15  
cap. 15

tit. 15  
cap. 15